MANTISSÆ LOCO ADJECTA
HISTORIA GENEALOGICA
PRINCIPUM SAXO-LAUENBURG-ANHALDINORUM
QUI NIMIRUM HACTENUS STEMMA PROPAGARUNT, HODIEQUE SUPERSTITES DEFUNCTO NUPERRIME JULIO FRANCISCO LAUENBURG. ADGNATO, SUCCEDERE PRÆTENDUNT.

ALBERTUS URSUS.

N. 1106. oriundus ex ſtirpe *Aſcania*, quæ in hiſtoriis ad *Aſcanem*, filium *Gomeri*, Pronepotem *Noæ*, referri ſolet, clariſſimus ſui ſeculi Princeps, cujus virtutem ac fidelitatem perſpectam habuit Imperator *Conradus III.* & cumulatè remuneratus eſt, dum ei *Marchiam Brandeburg.* extinctis antiquis Marchionibus è familia Stadenſi ad Imper. jure caduci lapſam, unà cum *Electorali dignitate* contulit. ob. 1168.

OTTO I. Patris ſucceſſor & Elector Brandenb. ob. 1198. de quo *Friſchlin* ita cecinit:

Vandalicæ Gentis fulmen: qui condidit amplas,
Limite Marchiaco Divis cœleſtibus Aras.

ALBERTUS II. Friderico II. Imperatori gratiſſimus fuit, & pro eo adverſus Syros ac Slavos fortiter pugnavit, ob. 1221

JOHANNES cognomento *Prudens*, Patris in Electoratu Succeſſor: *Berolinum* produxit ac munivit, *Francofurt.* etiam ad Viadrum ampliavit & emporium fecit. ob. 1266.

CONRADUS Elector Brandeburg. clariſſimus ac eminentiſſimus Princeps, inſignem integritatis ac prudentiæ, tam ſagatæ quàm togatæ conſecutus eſt laudem, ætatem quoque ad An. 1304. extendit.

HENRICUS *ſine Terrâ*, oder Margraff ohne Land dict°, quia Woldemarus totam Marchiam, exceptâ *Landsberga*, quæ ſola ad Henricũ ſpectabat, tenuit. Ob. ante Woldẽ: An. 1318.

WOLDEMARUS I. etiam Elector, cognomento der Pielgram: Ferunt enim, ab Uxore, quod cõſanguinitate propinquior fuiſſet, pœnitentiâ ductum, diſceſſiſſe, & peregrini habitu 29. annos domo abfuiſſe, dein reverſum eſſe: quam fabulam *Jacob Rebok* luſit. Ob. a. Woldẽ. A. 1319.

WOLDEMARUS II. Fratres: qui ordine geſſere, poſt Patruũ, Electoralem dignitatẽ, ſed intra non totũ Menſẽ uterq; 1322. extincti ſunt: ille ἀγαμος, hic verò ſine prole. Hinc Johan. qui 14. die poſt frat. ob. ſubditis certos Dños conſtituit, Agnatos ſuos è veteri ſtirpe Aſcaniâ Princip: *Anhaldinos:* in quorum illi verba jurarunt, ea conditione, ut ſe mortuo, hos agnoſcerent & reciperent Dominos. Verùm, illo defuncto, *Ludovicus* Imp. Marchiam Imperio vindicavit, atque ſolenni Principum Conventu Naumburgi habito, *Ludovicum* filium de ea cum axiomate Electorali inveſtivit, qui à quodam Molitore, *Jacob Rebok.* defuncti Woldem. I. nomen mentito, & à *Saxonibus* atque *Anhaldinis* ſtrenuè adjuto, non parum exagitatus eſt. *Carolus IV.* interim *Anhaldinis* quidem ſucceſſionem confirmavit, id autem egit, ut horum ope *Bavaris* excluſis, ipſoſmet deinceps etiam excluderet, & ſuis addiceret: veluti hæc omnia latius à me in *Hiſtoria Genealogica Palatino-Neoburgico-Bavarica part. I. c. 2. §. 1. & ſeqq.* tradita ſunt. Ita demum ex *Bavaricâ* familia in *Lucelburgicam* delapſa *Marchia*, donec eam *Friderico* Burggravio Norimbergenſi, conferret Imperator *Sigiſmundus.*

BERNHARDUS alter *Alberti Urſi* filius (in memoriam *Bernhardi Clarevallenſis* Sancti Viri, cum quo Patri familiaritas interceſſerat, ità dictus) haud minore felicitate, ac Pater uſus eſt; nam *Ducatũ Saxoniæ*, Henrico Leone Gvelpho exauctorato, beneficio Imperatoris *Friderici Barbaroſſæ* An. 1180. in Comitijs Herbipolenſibus obtinuit: primus quoque dicitur *inſignia trabeum auratarum & nigrarum, ſertiq; rutacei*, quibus etiam Duces Saxoniæ nunc utuntur, in inſignibus geſtaſſe. Ob. 1212.

ALBERTUS I Ducatus *Saxoniæ*, item *Angriæ & Weſtphaliæ* hæres, militavit in Livonia 1223. ac in Paleſtina & Agypto 1228. ob. 1260.

ALBERTUS II. *Electoralem dignitatem à Rudolpho* Cæſare, etiam tabulis ſuper ea re conceſſis, aſſecutum, ac quatuor Electionis actibus interfuiſſe creditur. Et hic Ducum ac Electorum Saxoniæ Stemma produxit, ac demum 1297. in ſolennitate coronationis *Alberti I.* Imp. turba circumſtantium preſſus perijt.

RUDOLPHUS I. ab Amitâ *Eliſabethâ* Comitatum *Breenenſem* accepit, conceſſu Rudolphi I. Imp. à quo etiam *Burggravius Magdeburg.* primus conſtitutus fuit. *Johan. IV.* Agnato, Electore Brandeburg. mortuo, ditiones ejus Domino vacuas invaſit, ſed *Ludovicus*, Ludovici Imp. filius, contra ipſum Populi benevolentia defenſus ac receptus eſt; interfuit Electioni *Henrici VII. & Friderici Auſtriaci* contra Ludovicum Bavarum, ac demum *Caroli IV.* cui acceptiſſimus fuit. Ob. valde ſenex A. 1356.

WENCESLAUS *Elector Sax.* &, Alberto ex Fratre Ottone nepote interfecto, *Dux Luneburgenſ.* in oppugnatione Arcis *Zellenſis*, quæ Luneburgicorum ſedes ac Aula, & quam tenebat Henricus, Torquati filius, A. 1388. occubuit.

RUDOLPHUS III. ab Electione *Friderici* Brunſvic. in locum Imp. Wenceslai pigri, domum rediens, perfidiosè circumventus, à Sicarijs vulneratus & captus eſt, novus Imperator, ejus ſororius, occiſus, *Sigiſmundus Anhaldinus* a. è conflictu iſto cum 3. Nobilibus evaſit. *Rudolphus* dein Legatus Sigiſm. Imp. in Bohem. veneno à malis hominibus An. 1419. fuit ſublatus.

ALBERTUS III. *Dux Sax. & Elector* hujus familiæ octavus, & *ultimus*, qui cum animi cauſa fortè in ſaltib° Lochavicis venaretur, cum uxore & Gynæceo in caſulam ruſticam divertit, & orto incendio nocturno vix nudus evaſit, morboque ex terrore & conſternatione nimia contracto, poſt paucos dies Anno 1421. ſubijt. Eo abſque maſcula hærede defuncto, & *hâc linea* Saxoniæ Ducum, Electorum, extinctâ, *Fridericus* Marchio Brandeburg. Wittenbergam cum tota ditione occupavit, impoſitóque præſidio munivit, ut permanerent, quaſi caduca, in fide & patrocinio Imperatoris. Ambiebat enim dignitatem Electoralem & *Ludovicus*, Elector Palatinus, pro filiis natu majoribus, & *Ericus V.* Dux Laumburg. Alberti Patruelis, qui ſibi propinquitate generis Electoratum deberi affirmabat, & acceptum ab Imperatore ſuper ejus confirmatione diploma oſtentabat: ſed uterq; repulſam tulit, ac *Sigiſmundus Imp.* deprehenſa ſuorum Aulicorum fraude, commentitias illas literas rejecit, & *Ducatum & Electoratum Sax.* ob fidem & ſervitia in bello Bohem. & Ungar. ſibi præſtita, *Friderico Bellicoſo*, Marchioni Miſniæ & Langrav. Thuringiæ conceſſit. Vide latè *Georg. Spalatin. d. antiquit. & nobilit. Domus Sax.* & *Hordled. d. cauſ. belli Ger. lib. 4. c. 23.* Ericus V. quidem huic alienationi contradixit, & cum ab Imperatore nihil obtineret, ad *Concilium Baſileenſe* provocavit, conqueſtus de juſtitia ſibi à Cæſare denegata. Sed cum nec illud controverſiam hanc dirimiſſet, & lis ſemper protracta maneret, impetratum denique à *Maximiliano Imp.* ut *Ulrico & Chriſtophoro* Ducibus Mecklenburg. demandaretur, ut documenta *Magni II.* inferioris Sax. Ducis, ſuper dignitate Electorali, Genealogia & titulis inſpicerent, cognoſcerent, & ad Imperatorem referent: quam commiſſionem iteravit *Rudolphus II.* Imp. An. 1577. Nihilominus tamen dignitas hæc cum ditione penes *Miſnenſem familiam* manſit; in quâ adhuc durat, adeoque *Aſcanÿ* duobus *Electoratibus* incluti, intra ſeculi ſpatium utriusque jacturam fecerunt.

JOANNES *Alberti I.* ſecundus filius, *novæ Author lineæ*, quam *Lauenburg.* à Lauenburgo ad Albim oppido, quod à *Bernhardo Aſcanio* conditum, vel *Saxoniæ inferioris ſ. Sax. & Angriæ*, dixerunt; in cujus deductione non conſentiunt Scriptores Genealogici, uti *Spenn. & Lairiz.* notarunt. Et Ea quidem non ſemel Electoralem dignitatem ſibi vindicaſſe legitur adverſus *Agnatos*, nec ſemel in Electivis dietis, donec Carolus IV. ad unam perſonam reſtringeret, comparuere; ut tamen ab Impp. agnoſcerentur, non impetratum eſt. Sic

ERICUS I. in diſcordi Electione *Friderici Auſtr. & Ludovici Bav.* cum *Rudolpho*, Duce Sax. ſuo Patrueli de jure Electionis contendit. & *Rudolphus* quidem Frid. *Ericus* Ludov. ſuffragio ſuo adſtipulatus eſt: quod litigium inter *Duces Sax. ſuperioris & inferioris* deniq; *Carol. IV.* Tangermündæ transactione compoſuiſſe fertur, ut alternis vicibus intereſſent, tituloque communi uterentur: quod a. ab alijs negatur, quia hæc alternatio neque in Electione *Wenceslai* nec *Ruperti*, nec etiam *Sigiſmundi* fuerit edocta ac obſervata.

ERICUS II. Qui & ipſe Electioni Imperatoriæ, in deſignatione *Guntheri* Comitis Schvartzenburg. interfuiſſe, & Patrueli *Rudolpho II.* de dignitate Electorali, litem moviſſe fertur, ſed cauſa cecidit. ob. circa 1376.

ERICUS IV. cui cum *Lubecenſibus* bellum propter *Melnam* & Dominium aliquot pagorum erat, quâ in lite, quæ poſtea judicialiter agitata, nuper demum ultimus hujus familiæ Dux *Julius Franc.* ſub exordium An. 1681. cauſam vicit. ob. autem Ericus 1411.

BERNHARDUS natu minor, *Fratri* ſine prole defuncto, in ditiones ac prætenſiones ſucceſſit, ac *Stemma* propagavit. Ob. 1462. ex peſte.

ERICUS V. natu major, cujus ætas in illam tẽpeſtatem incidit, quâ *Ramus Electoralis Sax.* exaruit; hinc agnationis jure ſucceſſionem ambivit, inveſtituramque ab Imperatore *Sigiſmundo* obnixè petiit. At, uti antea 1414. Francofurti Imperator ei tantùm Ducatus *Lauenb.* feudum (aliud inveſtituræ Diploma, quod per *Conradum Weinſpergium* obtentum, falſi poſtulabatur) contulerat, ita poſtea quoque in collatione ejus axiomatis, Eum, quem *Rudolphus & Albertus*, Anhaltinos præ laturi, hæredem nunquam voluerunt, neque ad vexillum, ut manus ſolenni ritu admoveret, paſſi ſunt, præterivit, & titulum in *Miſnicam Familiam*, Electore creato *Friderico Bellicoſo*, tranſtulit, Ob. 1435.

JOHANNES IV. *Electoris* atque *Archimarſchalli* titulum reſumpſit, ſeu potius retinuit, ac litem coram Imp. *Friderico IV.* redintegravit; ſed æquè ut *Patruus* rejectus eſt. ob. 1507.

MAGNUS II. aliquandiu excommunicatus fuit à Papa & proſcriptus ab Imperatore. primus dicitur abſtinuiſſe titulo Electoris Saxoniæ, atque Archi-Marſchalli. ob. A. 1543.

FRANCISCUS I. *Monaſterienſibus Anabaptiſtis* compeſcendis nomen adeptus, demum ob ſenium An. 1578. filio *Franciſco* regimen ditionum tradidit, & triennio poſt, cum de Principatu filiorum contentiones triſtes triſtis vidiſſet, defunctus.

FRANCISCUS II. è duplici Conjugio *novemdecim* liberos procreavit, quorum *filij duodecim* fuêre, ex quibus ſex *matrimonia*, eaque *haud infæcunda*, inierunt: unde mirari ſubit fatorum vim, quæ familiam *tot fulcris præſidijsq;* redundantem, intra breve 50. circiter annorum intervallum, ad *orbitatem* hactenus, & jam demum ad *interitum* penitùs redegerit.

JULIUS HENR. *n. 1586.* ex tot fratribus ſolus *ſtirpem* propagavit, & Catholicam Religionem amplexus, poſtquam Cæſari aliquandiu militaſſet, demum fratri *Auguſto* in Regimine ſucceſſit. Ex tertia Uxore *Anna Magdalena Popelia de Lobkovicz*, (quæ ipſi plurima in Bohemia Bona, interque illa *Sedem Schlakenverdam* attulit) præter filiam *Mariam Benignam Franciſcam*, natam 1635. & dein *Octavio Piccolomineo* Duc: Amalfitano nuptam, ſuſcepit, antequam d. 11. Nov. 1665. defunctus fuerit, unam hactenus ſuæ Gentis ſpem,

JULIUM FRANCISCUM n. 1640. qui Regimen Ducatus, Fratris *Franciſci Erdmanni* (dum ipſe in Evangelica Religione educatus Patri quidem ſuperfuit & ſucceſſit, ſed brevi, anno nimirum 1666. d. 31. Jul. ejus fata ſecutus) morte ad ſe delatum ſuſcepit. Majorum *prætenſionem in Electoratum Saxoniæ*, quam nec ipſius Parens intactam reliquerat, ſed Anno 1636. per *Dan. Mithovium* jus ſuum publicè propugnare fecerat, ſub titulo: Kurtzer Hiſtoriſcher Bericht / wie die höchlöbliche Vorfahren itziger noch lebender Hertzogen von Sachſen / Engern vnd Weſtpfahlen vmb die Sächſiſche Chur-Gerechtigkeit kommen / und ſie ſelber noch davon abgehalten werden / renovavit. Poſtea autem cum *Electore Sax.* tranſegit, atque An. 1671. *Pactum ſucceſſorium* ſive *confraternitatis* cum ipſo inivit; vigore cujus facultatem obtinuit, *Symbolum Archi-Marſchallorum Imperij* clypeo ſuo inſerendi. Hinc prætenſio moderna Electoris Sax. Connubij fœdere ſibi ſociavit 1668. d. 9. Apr. *Mariam Hedvigem*, Chriſtiani Auguſti Ducis Solisbac: filiam, quæ *Sigiſmundo Franciſco*, Archiduci Auſtriæ deſponſata fuerat, & aliquot liberorum, ſed ſequioris ſexus, Mater facta 1681. d. 23. Nov. ipſe verò Dux *Julius Franciſcus* nuperrimè d. 30. Septemb. ingenti omnium ſubditorum luctu, naturæ conceſſit.

HENRICUS, quem Imperator *Fridericus II.* Principem *Anhaldinum* creaſſe fertur, donatis Ei, præter *avitas poſſeſſiones*, nonnullis Civitatibus & ditionibus, quas è Ducatu *Sax. & Marchia Brandenb.* decerpſerat; quo ille etiam, qui Electores *Patrem, Patruum & Fratrem* haberet, dignum *Gente* decus tueri poſſet. ob 1267.

SIGFRIDUS, cui in diviſione paternâ obtigerunt pro parte tertia Dinaſtiæ *Deſſav. Serveſt. & Cæthana*, inque ea inſuper cautum, ut non ſolùm *tituli & inſignia*, verùm etiam *jus avitum ſimultaneæ Inveſtituræ, juráque ſucceſſionis communia* manerent. Ob. 1310.

ALBERTUS *Senior*, non ita multò poſt *Parentis* fata ſecutus, ob. 1316.

ALBERTUS *Junior* ſucceſſionem *Joan. IV. Electoris Brandenburg.* ſibi deberi contẽdit. Verùm, ut ſupra dictum, *Ludov. Imp.* Marchiam unà cum Electoratu filio ſuo *Ludovico Sen.* conceſſit: unde poſtea mox hujus, mox illius facta: uſque dum ex conceſſione *Imp. Sigiſm.* ad Fridericum IV. Burgg. Norimberg *modo Elect. Brandenb. ſtirpem* pervenerit, ob. *Albertus* 1362.

JOHANNES uxorem habuit *Eliſabetham* Co. Henneberg. mulierem rixoſam, adeo ut ejus *moroſitatem* maritus ferre non potuerit, & in ſpontaneum exilium abierit: filios tamen ex eâ ſuſcepit tres, quorum primogenitus

SIGISMUNDUS, Princeps magnanimus & bellicoſus, *Serveſti* aulam habuit, ac A. 1400. cum *Rudolpho Sax. Electore* in comitatu fuit *Friderici* Ducis Brunſvi. *electi Cæſaris*, pro quo & ſemetipſis apud *Frizlariam* ſtrenuè pugnante, *Friderico* cæſo, *Rudolpho* capto, ipſe aliquot invaſoribus ſuâ manu jugulatis, vix evaſit; ob. 1485.

GEORGIUS *ſenior*, cui *Bernburgica* ſucceſſio obvenit, *ſtemma* ſolus propavit, ex IV. *Uxoribus* XVII. *liberorum* pater 1474. ob.

ERNESTUS def. 1516. ex *Margaretha* Morſterbergicâ, filia *Henrici* Ducis, nepte Georg. Podeb. Principe ob virtutes & pietatem ſui ſexus decore, ſuſcepit filium, nomine

JOHANNES, cui *Serveſtana ditio* obtigit, qui *ſtirpem* propagavit ac *Lutheranæ Religionem*, quam non minùs, quàm fratres amplexus fuerat, ardenter fovit. ob. 1551.

JOACHIMUS ERNESTUS, *ſtemmatis* continuator, qui *unus* poſt *tria ſecula* Principatus fuit poſſeſſor, ac ſimul etiam *communis Anhaltinorum Principum* nunc viventium *Parens*. In Religione à *Lutherana* ad *Reformatos* demum deflexit, ac *Gymnaſium Serveſtanum* inſtituit. ob. 1586.

JOHAN. GEORG. I. natu maximus Principatum *ſolus* per annos 19. adminiſtravit, poſtea diviſione cum fratribus initâ, *Deſſavienſem* ditionem ſortitus eſt. ob. 1618.

JOH. CASIMIRUS Patri in *Principatu* ſucceſſit, atque An. 1660. d. 15. Sept. vivendi finem fecit, relicta duplici prole. E priori Conjuge Agneta, Landgrav. Haſſiæ, ſuſcepta filia Ludovica, Chriſtiano Duci Ligio-Bregenſi nupta, atque An. 1680. d. 25. Ap. mortua, & filio, qui ſuperſtes, familiæque caput eſt, dictus

JOH. GEORG. II. n. 1627. d. 7. Nov. *ſenior Domus* ac Sereniſſimi Electoris Brandenb. *Vicarius & Campi Marſchallus.*

CHRISTIANUS I. *Bernburgicam lineam* condidit: heros magnanimus, ſed quod adhæreret *Friderico Palatino*, à Cæſare proſcriptus: mox tamen in gratiam receptus eſt. ob. 1630.

CHRISTIANUS II. in prælio *Pragenſi* 1620. captus, ſed à *Fer. II.* Cæſare, benignè habitus, menſæ etiam, non ſine admiratione adſtantium adhibitus, iterum dimiſſ° eſt, ob. 1656

VICTOR AMADEUS, modernus Princeps Anhald: n. 1634. d. 8. Oct.

FRIDERICUS *Hazgerodenſe* ramum proſevit, à Dynaſtya, quam obtinuit, ſic appellatum. & ſeſe inprimis Chymiæ ſtudio ac peregrinationib° delectavit. ob. 1670.

WILHELMUS Princeps modernus Anhald. &c. n. 1644. 18. Aug.

AUGUSTUS *Ploëzkov. lineæ*, penes quam præter comitatum *Ploëzkovienſ.* nunc etiam *Cæthen & Wansdorff* eſt, Author extrema ætate confectus A. 1653. ob.

EMANUEL è militia *Cretenſi* redux, fratri *Lebrechten* ſucceſſit, & nuptijs ſibi A. 1670 d. 23. Mart. junxit *Annam Eleonoram* Comitiſſam de Stolberg, ſed eodem adhuc anno d. 8. Nov. immaturâ morte ſublatus eſt, uxore gravidâ relictâ, quæ poſtea filiũ peperit.

EMANUEL LEBRECHT Princeps Anhald. modernus, nat. d. 20. Maij A. 1671. Aulam *Cöthenæ* habens, quam ipſius Parens poſt 1665. defunctum Patruelem, *Wilhelm. Ludov.* obtinuit.

RUDOLPHUS conditor *lineæ Serveſtanæ*, à ditione, quam in patrimonij participatione accepit, quæq; Præfecturas *Lindau, Coſvvigk*, & *Roßla* etiam comprehendit, dictæ, ob. 162

JOHANNES ab Avunculo *Anthonio Gunthero*, Comite Oldenburg. educatus, & ad *Lutheranam Relig.* ſolus ex *Gente* ſua reductus, ex ejus hæreditate *Dynaſtyâ Jeverenſem* teſtamento ſibi legatam accepit. ob. 1667.

CARL WILHELMUS natus 26. Oct. 1652.

ANTH. GUNTHER. n. 1 Nov. 1653.

JOAN. ADOLPH. n. 2. D 1654.

JOAN. LUDV: n. 1. Maij 165

moderni Principes Anhaldin